

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CCIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](#)

strum adhibemus benivolum & expressum presencium testimonio litterarum nostri sigilli robore signatarum. Datum in Cafris a - - - Brixiam iij. Non. Julij Anno Domini millesimo trecentesimo undecimo. Regiminis vero nostri anno tercio.

(L. S.)



### CCIX.

ADELHEIDIS DE OCHSENSTEIN, MARCHIONISSA  
SENIOR DE BADEN, CONSENSU RUDOLPHI SENIORIS  
MARCHIONIS BADENSIS, FILIASTRI SUI, MONA-  
STÉRIO LUCIDÆ VALLIS CURIAM IN  
WILLRE CONFERT.

A N N O M C C C X I.

*Ex Tabulario Bada - Badenfi.*

Nos ADELHEIDIS, dicta de Ochsenstein, Dei gratia Marchionissa,  
Senior de Baden, tenore præsentium publice profitemur, quod  
nos accedente voluntate pariter & consensu Rudolphi, Dei gratia,  
Marchionis Senioris de Baden, filiastri nostri, contulimus & attestatione  
præsentium confirmamus Jure perpetuo libertatis claustro Dominarum  
de Lucida Valle Curiam nostram sitam in Willre, quam colit dictus Fu-  
gelin, de qua Curia dantur Triginta maltera filiginis annuatim, ut de  
iusdem redditibus anniversario Rudolphi, Marchionis bonæ memorie,  
quondam

quondam mariti nostri, quod erit in Die B. Valentini, & nostrum, postquam viam carnis egressæ fuerimus universæ, apud ipsum Claustrum perpetuo peragatur, hanc tamen conditionem huic nostræ donationi adjicientes, quod de iisdem redditibus in nostris anniversariis, seu in altero ipforum, in refectorio, pietantium habeant in communi, ut ipsis anniversariis eo diligentius sint intentæ personæ claustræ prænotati, quodque pauperibus ipsis anniversariis sic pervenientibus vino, pane & pulmento largam Eleemosynam administrent, prout apud ipsum Claustrum largæ Eleemosynariæ distribui sunt consuetæ protestantes quod si dominæ seu personæ ipsius claustræ, vel earum in dicto claustro succedentes, negligentes fuerint in præmissis seu in aliquo præmissorum quod ipsa Curia cum dictis redditibus ad proximos hæredes debitos & legitimos libere convertantur & revertantur, pleno jure, contradictione qualicunque penitus quiescente, in cuius robur & Evidentiam sigillum nostrum una cum sigillo Rudolphi Marchionis filiastræ nostri predicti presentibus duximus apponendum. Nos quoque Rudolphus Dei gratia Marchio predictus profitemur, omnia predicta esse vera & in evidentiam eorundem sigillum nostrum ad petitionem nobilis Dominæ Adelhaidis focius nostræ predictæ una cum sigillo eiusdem appendi fecimus ad præsentes. Actum II. Calend. Martij MCCCXI.

Cod. Dipl. U u